

V. Mulieres extraneas vobiscum una domo, unde aliqua suspicio potest venire, absque matre et amita et sorore et avia^a seu caeteris eiusmodi personis secundum regulam canonicam¹ habitare et manere deinceps prohibemus.

Omnino secundum regulam canonicam² praecipimus vobis, ut ab ebrietate, de qua nonnulla procedunt mala³, vos abstineatis et exemplum bonum omnis mensurę in loquendo et bibendo atque manducando populo vobis subiecto ostendere non neglegatis, nec in vobis ille impleatur sermo propheticus, ubi dicit⁴: Erit sacerdos sicut populus.

VI.⁵ Praecipimus vobis, ut unusquisque vestrum super duas seu tres ebdomadas diebus dominicis seu festivitatibus sanctorum populum sibi subiectum^b doctrinis salutiferis ex sacra scriptura sumptis⁶ in ecclesia sibi commissa post evangelium perlectum instruere studeat et iubeat illis, ut nullus de ecclesia exeat, antequam a presbitero sive^c diacono ultima laus, id est 'Benedicamus domino' aut 'Ite, missa est', pronuntietur^d.

VII. Iubemus vobis, ut masculos sive feminas incestos et ab antecessore nostro excommunicatos simul vobiscum ad nostram presentiam venire faciat. et excommunicatos iubemus, ut in excommunicatione ab antecessore nostro eis data usque ad nostram presentiam perdurent^e. si aliquis dei et sanctę regulę fuerit inventus contemptor, statim per vosmet ipsos eius malitiam et contumaciam ad nostram venire facite notitiam.

VIII. Praecipimus, ut unusquisque archipresbiter unā cum presbiteris sibi suffraganeis populum suę subiectum ecclesię, in quantum deo adiuvante potuerit, enutrire et ad viam veritatis perducere omni nisu studeat, lites vero et discordias compescat^f ac superbias, luxurias, fornicationes, || homicidium, quae criminalia sunt peccata omneque seminarium peccati diabolo instigante, ne in populo sibi

a) ava *Cod.* b) commissum *Burch.* c) se (*corr. ex si*)^v v^o *Cod.* (= seu vero); sive *Burch.* d) pronuntietur *Burch.*; pronuntiet *Cod.*
e) pducere *Cod.* f) cōpescat *Cod.*

1) Vgl. z. B. Conc. Nicaen. c. 3. 2) Vgl. z. B. Can. 42 apostol.
3) Vgl. c. 46 Conc. Mog. 813 (Mansi 14, 74): malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant. 4) Isai. 24, 2. 5) = *Burch.*, Decret. 2, 237; Conc. Tribur. can. extravag. 11, MG. Capp. II, 249. 205. Damit bleiben nach der von mir vertretenen Auffassung nur noch zwei Triburer Extravaganten (c. 12. 13) übrig. 6) Vgl. Admon. gen. 789 c. 82: non sinatis nova vel non canonica aliquos ex suo sensu et non secundum scripturas sacras fingere et praedicare populo.